

& ubique est verum. Ergo illud quod est per se justum, semper, & ubique observandum est. Sed præcepta decalogi sunt hujusmodi. Ergo &c.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in qualibet legislatione oportet duo considerare, scilicet substantiam legis quæ ponitur, & id ad quod legislator respicit. Et sicut lex lata est mensura subditorum in suis actibus, ita hoc ad quod respicit legislator, quod est legis intentio, & finis, est mensura legis positivæ. Sicut ergo actus subditorum sunt distorti, si à lege positiva discordant; ita lex rectitudinem non habet, si ab intentione legislatoris deficeret; quæ est rectitudinem constituere, & conservare. Si ergo sint aliqua præcepta quæ continent ipsam intentionem legislatoris, impossibile est quod in aliquo casu salva justitia possit aliquis ab eis defletere, sicut si esset hoc præceptum, nulli faciendam esse injuriam: & ideo cum omnia præcepta decalogi sint hujusmodi, impossibile est quod dispensationem recipiant. Præcepta autem quæ legislator edidit, ad mensuram prædictorum metienda sunt. Unde quamdiu illa præcepta posita non possunt præteriri sine præjudicio primæ mensuræ, ad quam instituta sunt, nulli licet in eis dispensare. Si quando vero possunt salva intentione legis præteriri, tunc est licitum dispensare in illis præceptis ei qui auctoritatem habet. Si vero in aliquibus casibus lex posita ab intentione legislatoris discedat, quia non potuit legislator ad omnes casus intendere, legem statuens, sed ad ea quæ pluries accidunt; tunc etiam licitum est legem positam præterire, & intentionem legislatoris sequi, sicut patet in eo qui non reddit depositum impugnanti fidem, vel patriam: & ad hoc perficit quædam virtus quæ vocatur à Philosopho in V. Ethic. epieikia, per quam homo, prætermissa lege, legislatoris intentionem sequitur.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de præceptis legis positivæ, & non de illis quæ intentionem legislatoris includunt.

Ad secundum dicendum, quod justum naturale est duplex, ut supra dictum est in corp. præc. art. Quoddam quod semper, & ubique est justum, sicut hoc in quo consistit forma justitiæ, & virtutis in generali, sicut medium tenere, rectitudinem servare, & alia hujusmodi. Quoddam vero est ex hoc profectum, secundum Tullium in II. Rhet. de invent. & hoc in pluribus ita contingit, sed potest in paucioribus deficere, ut dictum est ubi sup. quod contingit ex hoc quod justum hujusmodi est applicatio quædam universalis, & primæ mensuræ ad materiam difformem, & mutabilem: & de hujusmodi justo loquitur Philosophus.

Ad tertium dicendum, quod circa præcepta decalogi, secundum quod ad decalogum pertinent, numquam Deus contrarium fieri præcepit. Prohibitio enim furii ad decalogum pertinet, in quantum res furata aliena est ab accipiente. Retenta ergo hac conditione, si res illa fiat ipsius accipientis, jam non erit contra decalogum. Hoc autem non solum Deus, qui est omnium Dominus, facere poterat, sed etiam quandoque homines auctoritatem habentes, rem quæ unius fuerat,

(1) Al. speciali.

Ex EDIT. P. NICOL. (2) In eo Libro quem contra superstitiones condidit, sicut loquitur Augustinus loc. cit. Sed modo non extat Liber iste, quem & Tertullianus citat in Apologetico cap. xii.

DISTINCTIO XXXVII.

alteri conferunt ex aliqua causa. Potest tamen Deus in aliquibus factis conditiones contrarias decalogo auferre, qui & naturam mutare potest, quod homo facere non potest; sicut ab ea quæ non est matrimonio juncta, potest auferre hanc conditionem non suam, sine hoc quod uxor plenaria fiat, ut sic accedere ad eam sit contra decalogum.

Ad quartum dicendum, quod non prohibetur in decalogo occisio simpliciter, sed occisio ejus qui mortem pati non debuit.

Ad quintum dicendum, quod non est eadem ratio de præceptis decalogi, & de aliis præceptis legis, ut ex prædictis patet.

ARTICULUS V.

Utrum fuerit conveniens observationem sabbati præcipere.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod inconveniens fuerit sabbati observationem præcipere. Sabbatum enim est septima pars temporis totius vitæ hominis. Sed valde irrationabile videtur quod homo septimam partem vitæ suæ in otio amittat; sicut Seneca (a) dicit deridens caeremonias Judæorum, sicut Augustinus narrat in Lib. de Civit. Dei, VI. cap. xi. Ergo irrationabile fuit sabbati observantiam præcipere.

2. Præterea. Quanto exercitatio alicujus rei magis discontinuatur, tanto homo in illa re minus proficit. Sed sabbati observantia instituta fuit ad vacandum divinis. Multo autem continuatius esset exercitium divinum, si ei cujuslibet diei una hora saltem deputaretur. Ergo videtur quod ad majorem profectum hoc fuisset quam diem septimam observare.

3. Præterea. Ab operibus virtutis nullo tempore vacandum est. Sed opera servilia sunt materia virtutis. Ergo non debuit præcipi ut die sabbati à servilibus operibus abstineretur.

Sed contra. Ad legislatorem pertinet omnes humanos actus moderare. Sed cum impossibile sit semper agere, ut Philosophus in Lib. de somn. & vigil. cap. i. dicit, ad moderationem humanorum actuum pertinet ut aliquod tempus quieti deputetur. Ergo conveniens fuit ut legislator hoc institueret.

Præterea. Homines (1) spirituali vita viventibus maxima cura adhibenda est ut Dei omnipotentiam, & providentiam cognoscant. Sed lex Moysi data est ad instruendam vitam spiritualem. Ergo præcipue hoc lege illa debuit præcipi, quod ad Dei omnipotentiam, & providentiam credendam homines assuefaceret. Hoc autem est observatio sabbati, quæ in memoria reducit, ut Rabbi Moyses dicit in Libro qui in scriptis est *Dux hesitantium*, principium mundi, cujus factura septima die consummata est: qua supposita, cunctis etiam simplicibus evidens est Deum omnipotentem esse, & ex providentia, non ex necessitate agere. Ergo conveniens fuit ut observatio sabbati lege statueretur.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod præceptum de sabbato observando fuerit morale simpliciter. Ea enim quæ

QUÆSTIO I.

in unam divisionem veniunt, unius rationis esse videntur. Sed præceptum de sabbato observando dividitur aliis præceptis decalogi, quæ sunt præcepta moralia legis naturæ. Ergo præceptum de sabbato est morale.

2. Præterea. Super illud Luc. xiiii. *Sex dies sunt in quibus operari licet*, dicit Glossa: (b) „Lex in sabbato non hominem curare, sed servilia opera facere, idest peccatis gravari, prohibet.“ Sed vacare à peccato est morale præceptum. Ergo & præceptum de sabbato observando.

3. Præterea. Illud quod habet rationem moralem, videtur esse morale præceptum. Sed observatio sabbati est hujusmodi, quod patet ex causa quam assignat Damascenus Lib. IV. de Fide orth. cap. xxiv. circa medium: *Vacationis*, inquit, *gratia quæ est ad Deum, & ut particulam vitæ Deo tribuant, & requiescant servus, & subjugale, sabbati observantia excogitata est.* Ergo præceptum de sabbato observando est morale.

Sed contra. Præcepta quæ sunt data in signum, non sunt moralia, sed caeremonialia. Sed præceptum de sabbato est hujusmodi, ut patet Exod. xxxi. 13. *Videte ut sabbatum meum custodiat, quia signum est inter me & vos.* Ergo præceptum de sabbato est caeremoniale.

Præterea. Levit. xxvi. dicit Glossa: (c) *Mandatum sabbati quamvis in decem mandatis numeratum sit, non tamen ex eis est.* Videtur ergo quod sit caeremoniale, & non morale.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod non debuerit cessare tempore gratiæ. Thurificatio enim, ut dicunt Sancti, & Magistri, non cessavit: quia significat illud quod semper faciendum est, scilicet devotionem orationis. Sed observatio sabbati significat requiem in Deo, ut Augustinus dicit super Exod. cap. xxxi. quæ quidem semper facienda est. Ergo non debuit tempore gratiæ cessare.

2. Præterea. Observatio sabbati ad maximam perfectionem ordinabat, scilicet ad vacandum divinæ contemplationi. Sed status gratiæ est perfectior status legis. Ergo etiam magis debet observari in hoc statu quam in illo.

3. Si dicas, quod observatur, sed mutata die, scilicet dominica: contra. Magis est in reverentia habendum quod ad Divinitatem pertinet quam quod ad humanitatem. Sed ratio observandi sabbatum fuit mysterium divinæ quietis. Ergo non fuit observatio sabbati commutanda in observationem dominicæ propter mysterium resurrectionis, quod Christo secundum humanam naturam competit.

4. Præterea. Tempore gratiæ tenemur perfectius Deo vacare quam tempore legis. Sed tempore legis à multis abstinerebatur quæ nunc in die dominico licite fiunt: non enim erat licitum cibos coquere, nec itinere. Ergo observatio sabbati non est mutata in dominicam: ergo adhuc debet observatio sabbati remanere.

Sed contra. Exod. xxxi. 15. (2) *Septima dies erit sabbatum, idest requies*: Glossa: (d) „Alia præcepta servanda in novo testamento ad litteram non dubita-

(2) Vulgata: *In die septimo sabbatum est, requies sancta Domino.*

Ex EDIT. P. NICOL. (b) Nullo nomine prænotata, sed ex expresse Bedæ super eundem locum, æquivalenter autem Ambrosii. (c) Ex Ezechio sumpta, & nomen ejus præferens. (d) Nihil tale in Glossa nova, & vetus ad manum non est.

mus; illud autem de sabbato velatum, & in mysterio præceptum fuit, ut hodie à nobis non servetur, sed solum signatum intueamur.“

Præterea. Damascenus dicit, ubi sup. quod sabbati observatio excogitata fuit parvulis, & sub elementis mundi servientibus. Sed à tali servitio liberati sumus per adventum Christi. Ergo & sabbati observatio cessavit.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod sicut præceptum de sacrificiis habuit aliquam causam moralem non simpliciter, sed secundum congruentiam illorum quibus lex dabatur, qui ad idolatriam proni erant, ut Deo offerrent quod alias idolis obtrulissent; & aliam causam mysticam, scilicet ad significandum sacrificium passionis Christi: & præceptum de observatione sabbati habuit aliquam causam moralem ex conditione eorum quibus lex dabatur, qui propter avaritiam eis inditiam occupantem se, & sibi subditos operibus servilibus occupassent quod omnino mens eorum à divinis subtraheret: & hanc causam tangit Damascenus, ubi supra. Similiter etiam quia ad errores gentium proni erant, indicta est eis observatio sabbati, ut creationem mundi semper præ oculis haberent, & sic Deum recognoscerent, & timerent: quam causam tangit Rabbi Moyses in Lib. cit. Habuit nihilominus & causam mysticam triplicem. Unam allegoricam, ad significandum quietem Christi in sepulchro. Aliam moralem, ad significandum requiem humanæ mentis à peccatis, & ab omnibus aliis rebus, in quibus requiem non invenit, nisi in Deo, in quo solo est quies. Tertiam anagogicam, ad significandum æternam requiem qua Sancti in gloria quiescent. Et ideo conveniens fuit institutio sabbati pro tempore illo.

Ad primum ergo dicendum, quod sabbati tempus non amittitur, si hoc in sabbato fiat ad quod deputatum est, scilicet divinorum contemplatio. Sed quia Judæi, omissis divinis, in sabbatis magis inutilibus rebus vacabant, ideo eos Seneca derisit; ut dicitur Thren. i. 7. *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata ejus.*

Ad secundum dicendum, quod labor non solum impedit contemplationis actum dum exercetur, sed etiam postquam transiit, dum remanent ex labore membra fessa, & mens distracta. Unde convenientius fuit ut unus dies integer divinis deputaretur quam in singulis diebus aliquæ horæ.

Ad tertium dicendum, quod quandoque actus unius virtutis intermittend us est propter actum excellentioris virtutis; sicut opera aliarum virtutum aliquando propter opus justitiæ intermittuntur, ut dicit Tullius in I. de offic. num. 154. Virtutes autem omnes contemplativæ sunt digniores virtutibus activis, quarum materia esse possunt servilia opera. Unde non est inconveniens quod opus servile intermittatur ad tempus, ut contemplationi vacetur.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod præceptum de sabbato observando, quantum ad aliquid

morale est, & quantum ad aliquid ceremoniale, & quantum ad aliquid potest etiam dici iudiciale. Secundum enim illud ejus quod naturalis ratio dicitur, præceptum morale est, ut scilicet aliquo tempore homo contemplationi vacet. Sed taxatio temporis in qua vacandum sit, non est de dictamine naturalis legis, & ideo est morale præceptum. Sed secundum quod habet pro causa significationem, sic est ceremoniale. Secundum autem quod habet pro causa conditionem illius populi, cui subveniendum erat per hoc præceptum, iudiciale est.

Ad primum ergo dicendum, quod connumeratur aliis præceptis decalogi quantum ad id quod habet de ratione moralis præcepti.

Ad secundum dicendum, quod opera servilia mystice intelliguntur peccata; sed ad litteram opera servilia dicuntur ad quorum exercitium servos deputatos habemus, in quibus debent artes mechanicæ dirigere, quæ contra liberales dividuntur.

Ad tertium dicendum, quod causæ illæ non sunt morales, nisi considerata conditione illius populi, cui lex dabatur. Unde ex hoc magis potest concludi quod sit iudiciale præceptum, quam morale.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod sabbati observatio quantum ad illud quod de lege naturali habebat, prout morale præceptum est, tempore gratiæ non cessavit, immo perfectius implendum est, sicut & alia moralia præcepta: & ideo Apostolus I. Corinth. vii. dat consilium de virginibus, ut extra solitudinem existentes, semper quæ Dei sunt, cogitent. Sed taxatio diei, vel temporis, quæ ad legem morale non pertinebat, veniente statu gratiæ cessavit, sicut & alia legalia.

Ad primum ergo dicendum, quod observatio sabbati, in quantum ceremonialis est, signat principaliter requiem Christi in sepulchro, & per consequens quietem quam habemus per ipsum, consepulti cum eo per baptismum in mortem: Rom. vi. Unde veniente veritate, figura cessavit. Et non est simile de purificatione, quæ principaliter non est signum futuri, sed ejus quod semper esse debet.

Ad secundum dicendum, quod quia perfectius in nova lege debemus Deo vacare, ideo non fuit taxandum tempus illis quibus injungitur, ut sine intermissione orent.

Ad tertium dicendum, quod observatio dominicæ non obligat ex præcepto decalogi, nisi quantum ad hoc quod est de dictamine legis naturæ: taxatio enim illius diei est ex institutione Ecclesiæ volentis resurrectionem Christi, cui nostram vitam conformare debemus, in jugi memoria esse. Quamvis autem resurrectio Christi ei secundum humanitatem conveniat, tamen opus Divinitatis est, quæ eum a mortuis suscitavit. Unde non in minori reverentia est habenda quam requies artificis, & (3) consummatio conditoris facta in die sabbati; immo amplius, secundum quod opus (4) conditionis opere reparationis perficitur.

Ad quartum dicendum, quod in die dominica tenemur vacare ex constitutione Ecclesiæ ab operibus quæ nos impedire possent à cultu divino, qui indicitur in tali die exercendus, nisi ex causa per eum qui habet auctoritatem, in aliquo dispensetur. Neque oportet quod ab omnibus in die dominica censemur

(3) Al. consummatio conditionis factæ. (4) Al. conditoris. (5) Al. deest quis. (6) Al. Et.

à quibus in die sabbati cessabant: quia antiquorum cessatio ab omnibus operibus servilibus in significationem erat, non autem nostra cessatio.

ARTICULUS VI.

Utrum usuras accipere sit peccatum.

2. 2. q. LXXVIII. art. 1. & de mal. q. XLIII. art. 4.

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur quod usuras accipere non sit peccatum. Nihil enim est peccatum nisi quod est contra præceptum aliquid morale: ceremonialia autem, & judicialia legis mosaicæ nos non obligant. Sed præceptum de non accipiendo usuram, non est morale: quia præcepta moralia obligant respectu omnium, & ad omnes; sed Deut. xxiii. Judæis conceditur quod fenerentur non proximis, sed extraneis. Ergo usuras accipere non est peccatum.

2. Præterea. Constat quod ille qui alicui pecuniam mutat, aliquid commodum ei facit. Sed secundum Philosophum in V. Ethic. cap. viii. In retributione commanet civitas, ut scilicet quantum (5) qui fecit, tantum ei fiat. Ergo non est peccatum, sed licitum, & iustum, ut pro commodo quod mutuando fecit, aliquid lucrum reporter.

3. Si dicas, quod tenebatur ei gratis mutare: unde in hoc peccat quod vendit alicui quod ei debebat: contra. Secundum hoc ergo non peccabit lucrum de mutuo quærens, nisi quando mutare tenetur. Sed non semper tenetur mutare. Ergo aliquando licet ei usuras accipere.

4. Præterea. Non minus possum accipere ab eo cui beneficium extitit, quam ab eo cui nullum beneficium contuli. Sed si alicui cui non mutuassem, aliquid mihi daret de suo, etiam si sperassem accipere, licite detinere possem. Ergo & ab eo cui beneficium extitit, mutuum concedendo, licet mihi aliquid expectare, recipere, & detinere.

5. Præterea. Plus efficitur mihi debitor ille in quem transtuli dominium rei meæ, quam ille cui solum usum rei meæ concessi. Sed in rebus in quibus non transfertur dominium, si concedantur ad aliquem usum, licet inde aliquid accipere, sicut patet in locationibus domorum, eorumque, & hujusmodi. Ergo multo amplius licet mihi accipere ab eo in quem per mutuum pecuniæ meæ dominium transtuli.

6. Præterea. Quicumque communicat alicui in peccato mortali, peccat mortaliter. Sed ille qui dat usuras accipiens mutuum communicat ei qui accipit usuras, dans mutuum. Si ergo accipiens usuras semper peccat, videtur quod & dans; quod falsum est.

Sed contra. Luc. vi. Date mutuum, nihil inde sperantes. (6) Sed contra hoc veniunt feneratores. Ergo peccant.

Præterea. Ea quæ veniunt in eandem divisionem, sunt unius rationis. Sed dare pecuniam ad usuram connumeratur aliis quæ sunt peccata mortalia, ut patet in Psalm. xiv. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Ergo est peccatum mortale.

Præterea. Ubi cumque est turpe lucrum, est peccatum. Sed Philosophus ponit in IV. Ethic. feneratores inter turpes lucratores. Ergo &c.

SO-

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ab omnibus dicitur communiter quod dare ad usuram peccatum mortale est. Sed diversi diversas rationes assignant.

Quidam enim dicunt, quod ideo pecuniam pro certo lucro concedere non licet, sicut domum, vel equum, vel alia hujusmodi, quia pecunia non deterioratur ex usu, sed aliis rebus aliquid deperit ex usu. Sed ista ratio non est generalis: quia in aliquibus rebus, pro quarum concessione aliquid accipi potest licite, nihil ex usu deperit, sicut in concessione domus ad usum ad unum diem: & præterea pretium quod accipitur, non commensuratur damno quod accidit ex usu rei: non enim tantum deperit in mutuo quantum datur.

Et ideo alii assignant aliam rationem, quia videlicet quando pecunia mutuatur, transfertur dominium, quod non fit in domo, & in aliis rebus. Justum (7) autem videtur ut pro usu rei quæ mea remanet, scilicet domus, aliquid accipere possim; sed pro usu (8) pecuniæ, quæ fit alterius ex hoc ipso quod mutuatur, aliquid accipere, nihil aliud est quam accipere aliquid ab aliquo pro usu rei propriæ: & ideo videtur quod est quædam exactio, & peccatum. (9) Et hæc ratio satis probabilis videtur: & ideo simile accidit in omnibus rebus in quibus transfertur dominium per mutuum, sicut granum, vinum, & hujusmodi, pro quorum usu nihil accipere licet ultra valorem ejus quod mutuatum est. Potest tamen & alia ratio assignari, quia omnes aliæ res ex seipsis habent aliquam utilitatem, pecunia autem non, sed ex mensura utilitatis aliarum rerum, ut patet per Philosophum in V. Ethic. cap. viii. vel ix. Et ideo pecuniæ usus non habet mensuram utilitatis ex ipsa pecunia, sed ex rebus quæ per pecuniam mensurantur secundum differentiam ejus qui pecuniam ad res transmutat. Unde accipere majorem pecuniam pro minori, nihil aliud esse videtur quam diversificare mensuram in accipiendo, & dando: quod manifeste iniquitatem continet.

Ad primum ergo dicendum, quod lex Deuteronomii loquitur de Judæis respectu aliarum nationum quæ terram promissionis Judæis divinitus concessam detinebant: & ideo permissum fuit eis, usuris, & quibuscumque exactionibus extorquere ab injuste possidentibus quod eis juste debebatur; sicut etiam dicitur de spoliatione Ægyptiorum, qui Judæis mercedem laboris quo eis servierant, subtraxerunt. Vel dicendum, quod sicut libellus repudiij permissus est eis ad duritiam cordis eorum, ne uxores interficerent, ad quod proni erant; ita etiam permissum fuit eis fenerare extraneis, ne fratribus suis fenerarent, ad quod eos innata avaritia incitabat.

Ad secundum dicendum, quod beneficium mutui non est amplius quam pecunia mutuata: unde si plus exigitur, exigitur plus quam debitum est: & ideo est injusta exactio.

Ad tertium dicendum, quod quamvis homo non teneatur semper mutuum concedere, tenetur tamen

ad hoc ut quandocumque mutuum (10) exigit, non plus exigit quam dederat.

Ad quartum dicendum, quod ab eo cui beneficium contuli, licet mihi tantum sperare, & accipere quantum feci, & non plus. Quidquid autem de utilitate contingit ei cui mutuum dedi, ultra mensuram mutui ex pecunia mutuata, hoc est ex industria ejus qui sagaciter pecunia usus est; industriam autem ejus sibi vendere non debeo, sicut nec pro stultitia ejus minus habere debeo.

Ad quintum dicendum, quod hoc ipso quod dominium pecuniæ transfertur, est ratio quare pro usu ejus nihil accipere debeam, vel sperare (11) quasi mihi debitum.

Ad sextum dicendum, quod ille qui usuras dat, & mutuum accipit in necessitate, non peccat, nec usurario communicat in quantum hujusmodi: quia non voluntarius usuram dat, sed quasi coactus necessitate.

DIVISIO TEXTUS.

HÆC Origenes dicit esse duo mandata. Sicut Origenes primum mandatum dividit in duo, ita duo ultima mandata, quæ sunt de prohibitione concupiscentiæ, conjungit in unum; & sic præcepta denarium non transcendunt.

Idolum nihil est in mundo. Hoc autem multipliciter intelligi potest. Uno modo in quantum idolum est similitudo; & sic exponit Origenes, ut dicatur idolum nihil esse, quia nulla res est in mundo cujus sit similitudo. Alio modo potest intelligi de idolo secundum quod est res quædam; & hoc dupliciter. Uno modo quantum ad formam quæ æstimatur esse in idolo, & non est in eo, scilicet forma deitatis. Alio modo quantum ad effectum, quia scilicet ad peccatum inducit, quod nihil est.

Non assumes nomen Dei tui in vanum. Assumere est ad aliquid sumere. Sumitur autem nomen Dei ad alicujus veritatis confirmationem per modum juramenti. Si ergo sumatur ad confirmandum aliquid falsum, quod in se nullo modo confirmabile est, tunc in vanum assumitur, & pro nihilo juratur: quia vanum est quod est ad finem aliquem quem (12) non inducit, ut dicitur in II. Physic. text. LXXII.

Nomine igitur mœchiæ, omnis illicitus concubitus, illorumque membrorum non legitimus usus, prohibitus debet intelligi. Cum peccatum contra naturam sit gravius quam mœchia, videtur quod illud potius prohiberi debuerit, quasi primo tramite relinquendum. Et dicendum, quod quia legislator hominibus legem dabat, ideo in primis legis mandatis non debebat nisi peccata humana prohibere; peccatum autem contra naturam non est humanum, sed bestiale, secundum Philosophum in VII. Ethic. cap. v. vel vii.

Ut si in hieme credimus decem modios, in messe quindecim recipiamus. Hoc est intelligendum, si plus valeant in messe quindecim modii secundum commune forum, quam in hieme decem; alias si fiat commensuratio dati, & accepti ad valorem pecuniæ, non erit usura, sed æqualis commutatio.

In III. Sent. Tom. III.

Kkk

DIS-

(7) Al. deest autem. (8) Al. pro usu scilicet pecuniæ. Nicolai pro rei usu, scilicet pecuniæ. (9) Al. Sed. (10) Al. exigitur. (11) Al. quam. (12) Al. non includit.